

3111

C O D I C E S

3112

22. Jan. *Vincencium martirem*, 3. Aug. *Inuencionem sancti stephani*, 23. Nov. *Clementem papam* miniatos habet. In litiis *Ferreolus* et *Ferrucius* invocantur, unde superior de *Bisuntio*, seu *Vesuntione* coniectura roboratur.

DCCCLXXV.

954 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 150. 4. maj. exaratus in membrana tota atra, caractere textus argenteo, titulorum vero aureo, splendidissimum Artis graphicae simul et pictoriae Monumentum, marginibus passim cum sacrarum, et profanarum figurarum, quas inter monachi habitu Lupum Corti concionantem, et Simium Simio barbam radentem videas, tum elegantissimo Florum ornatu divitibus, praeterea Iconibus XV. grandibus mysteria patientis Christi potissimum referentibus conspicuus, in quibus e fundo atro aureae lucis ope veluti protuberantibus Pictoris ars mire se commendat, *Horarium* est, cujus Κριστυ Frons loquitur Ducatus *Mediolanensis* exhibens Insignia, quibus adjectum: GZ. MA. DX. MLI. QNTVS. nempe: *Galeazius Maria* (Sfortia) *Dux Mediolani Quintus*. Circumsistunt Emblemata tria, quorum unum Carduos fativos seu Cynaras tres florentes ostentans germanice, quod mirere, inscribitur: *Mit Zait*. Bis insuper adpictus est fustis altero extremo inclinato flammans, altero elevato antlias binas suspensas gerens, Sig-

num fortasse Pictoris, quod tamen apud *Cbristum* non reperi. Jam, quae *Codice* continentur, haec sunt: *Calendarium*, in quo aurei 6. Febr. *Amandus ep.* 14. Jun. *Basilus ep. et conf.* 25. Jun. *Eligius ep.* 3. Jul. *Translacio Thome ap.* 1. Sept. *Egidius abbas et conf.* 1. Oct. *Remigius et bauo.* 9. Oct. *Dionysius*, non martyr, sed *ep. et conf.* 1. Dec. *Translacio Sancti eligij.* 14. Dec. *Nychasius ep. et mart.* Unde opus in *Belgio* pro *Italia* curatum videtur. Sequuntur *Horae de Cruce*, de *S. Spiritu*, *Missa de B. V. M. IV.* e totidem *Evangelistis Evangelia*, quibus omnium quatuor in uno conclavi scribendo occupatorum Icon jucunda praefigitur, *Horae B. V. M.* etiam pro *Adventu*, *Psalmi de Poenitentia* cum *Litaniis*, et *Vigiliae Mortuorum*. Codicem holoserico purpureo tectum, phalerisque argenteis deauratis asperum *Larario Austriaco* non dubitem illatum fuisse inter *Κερανδρια Blancae Mariae Sfortiae Galeatii* supradicti jam a. 1476. a *Conjuratis* interemti filiae, quam *Maximilianus I.* a. 1494. secundam uxorem duxit.

DCCCLXXVI.

Codex membraneus lat. Sec. 981 XV. Folior. 154. 4. luculente et eleganter scriptus, titulis aureis, literis initiorum deauratis, picturatis, marginibus multis singulari ornatu figurarum partim e sacra historia, partim e Veterum numis, gemmisque scalptis insigni peni-